

CARMEN

RAYMUNDI MINDERERI, D. MEDICI
ET REIP. AUGUSTANÆ PHYSICI,

IN visas alij terras glacièmq̃ pererrent
Marmoris æquorei, fluctusque Aquilone rigentes
Classibus, atque domum nudi nova monstra reportent;
Altius humanis sapiens **IV SIDERA PANDIS**
Et Phœbi scandis fato meliore quadrigam,
Quam puer infelix flammis qui miscuit Orbem
Nec tu Thessalicum celeri vertigine Rhombum,
Volvis, ut ex æthra deducas fornice Phœben;
Astrorum te spontè ducem chorus omnis adorat
Et cœlum omne tuo properat se subdere cœlo.
Quid tibi pro tantis **JOANNES** imprecer ausis?
Infra nos ponis quem supra cernimus axem,
Despicimusque ignes proni, quos ante supini
Pluribus ignotos suspeximus admirantes.
Non tibi se tellus non totus debeat æther?
Parrhæsis excipiat plostro, ducatque Bootes
Serus, nam serum tellus dimittere vovit.
Nonne Jovis te magna soror conjuxque vebentem
Per callem ducat, quem lactea semita signat?
Donec ad illustrem radiis arvoquè micantem
Aspires thalamum Clarij, cinctusque corona
Lumina quæ rutili complectitur aurea cœli
(Nam labor astrorum tam nobilis astra meretur)
Æterùm referas peperit quem cura triumphum.